



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 13. Templum S. Mariæ de Victoria in gratitudinis monumentum a
Ferdinando II. Pragæ in Monte Albo erectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII. „modum impleat, per tuos severa ex
A. C. 1628. „lege, ab illo exigere. „

Acceptis igitur hisce literis Zeemannus liber dimittebatur, palam professus, quod in suis Concionibus & scriptis moderationis limites transgressus haud parum aberraverit. Hac autem confessione ceterorum Lutheranorum Præconum invidiam in se concitabat, eoquod hæc verba interpretarentur, perinde ac si falsus fuisset, quod Religionem Papisticam pro vera & antiquissima agnoverit, Papam pro sancto, se vero pro calumniatore declararit &c.

§. XIII.

*Templum S. Mariæ de Victoria in
gratitudinis monumentum a Fer-
dinando II. Pragæ in Monte
Albo erectum.*

*Carafa l. c.
Lotich.
l. 24. c. 3.
Meteran.
Hist. Belg.
l. 48. Theatr.
Europ.
p. 1079.*

EO tempore, quo Ferdinandus II. Pragæ morabatur, Wallensteinii Principis Legatus unacum octoginta captivis, duobus Tribunis, & triginta Centurionibus quinquaginta peditum & quadraginta sex Equitum vexilla Danis erepta Cæsari obtulit, quæ postmodum Viennæ in sacello Beatæ Virginis Lauretano in perpetui trophæi gratique animi monumentum affixa fuere: Captivi vero Pragæ jure belli ali-

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

aliquamdiu detepti postmodum dimissi sunt, ea lege, ut integro semestri contra Cæsarem non essent militaturi: Laurentium vero Realem Viennam sub custodia transmitti iussit Imperator, eoquod cum Batavis copiis Sundæ transitum in Daniæ Regis favorem, non sine Cæsareorum dispendio obsedisset. Hic sæpius a submissis Religiosis ad Catholicam fidem invitatus, semper se potius Atheum, quam Calvinistam professus est: Ceterum luculentiori adhuc specimine Ferdinandus Cæsar suam erga Deum gratitudinem testabatur, dum votum Deo optimo, si victoria contra rebelles potiretur, nuncupatum exsoluturus, hoc anno Pragæ in Monte Albo Templum unacum cænobio extrui curavit, illudque Deo in honorem B. Virginis Victoriosæ sacravit. Die igitur vigesima quinta Aprilis solemnibus pompa primum sua manu lapidem ad fundamentum superintulit, hanc festivitatem sua præsentia ac pietate decorantibus Eleonora Gonzaga Imperatrice, Ferdinando III. Hungariæ & Bohemiæ Rege, Archiepiscopo Pragensi, Cardinale Ernesto ab Harrach, & Patre Henrico Generale Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis. Lapis vero ille sequenti sub quadratis literis inscriptione insignitus erat. *Anno. M. DC. XXIIX.*

Hist. Eccles. Tom. LIX. D Die

Sæc. XVII. Die XXV. Aprilis, Ferdinandus II, Imperator semper Augustus, Catholicæ fidei Defensor Acerrimus, pro gratiarum Actione Victoriæ contra Rebelles, & Hæreticos, Anno M. DC. XX. Die VIII. Novembris in Monte Albo obtentæ, Hujus sacri Templi sanctæ Mariæ de Victoria primum Fundamentum posuit.

§. XIV.

Cæsaris oppositio contra Aquileiensem Patriarcham a Papa electum.

Meteran. Hist. Belg. t. 48. p. 574. Jam a pluribus annis fervebat controversia inter Domum Austriacam & Venetorum Rempublicam de Patriarchatu Aquileiensi, qui schismati propter tria famosa capitula originem suam debebat: Vendicabant enim Veneti sibi solis Patriarcham & Istriæ Primatenuatione Venetum nominandi jus, quinimo ne vel per primas preces vel aliquo pacto ad domum Austriacam ejusmodi Patriarcham constituendi ordinem unquam pervenire posset, a pluribus retro annis copiam fecerunt, ut Patriarcha sibi Coadjutorem cum jure successionis assumere valeret. E contrarium Domus Austriaca hoc jus sibi competere obtendebat, eo quod Aquileia in ejus ditione sita esset. Postquam igitur